

Dei mei. Ne accuses servum ad Dominum suum, ne forte maledicat tibi, et corruas ¹.

Et post aliquantum : Aperi os tuum, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem ².

Satis sint ista de Parabolis. Deinde librum alium Salomonis qui vocatur Ecclesiastes, intuentes, similiter ea, quæ in illo invenerimus huic operi apta, monstrabimus.

DE ECCLESIASTE.

Et vidi quia tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. Sapientis oculi in capite ejus : stultus in tenebris ambulat ³.

Et post aliquantum : Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei. Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciant mali ⁴.

Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio: sed quodcumque voveris redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo: Non est providentia: ne forte iratus Deus super sermone tuo dissipet cuncta opera manuum tuarum. Ubi multa sunt somnia, plurimæ vanitates et sermones innumerari: tu vero Deum time. *Et post sex versus* : Avarus

¹ Præv. xxx, 7, 9 et 10. — ² Id. xxxi, 9. — ³ Eccle. ii, 13, 14. — ⁴ Id. iv, 17.

non impletur pecunia; et qui amat divitias, fructus non capiet ex eis ¹.

Et post aliquantum : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Melior est ira risu; quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi lætitia. Melius est a sapiente corripri, quam stultorum adulatione decipi: quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. *Et post quatuor versus* : Melior est patiens arrogante. Ne velox sis ad irascendum; quia ira in sinu stulti requiescit. Ne dicas: Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta est enim hujusmodi interrogatio. *Et post tres versus* : Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo ².

Et aliquanto post : Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei. Ne festines recedere a facie ejus, neque permanes in opere malo. *Et paulo post* : Ex eo quod peccator, *inquit*, centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus: sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Dei ³.

Et post aliquantum : Dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. *Et post quatuor versus* : Melior est sapientia quam arma bellica: et qui in uno peccaverit, multa bona perdet ⁴. *Et post duos versus* :

Pretiosior est sapientia et gloria parva ad tempus, stultitia. *Et post tredecim versus* : Qui fodit foveam, inci-

¹ Eccle. v, 1-6 et 9. — ² Id. vii, 3-13. — ³ Id. viii, 2, 3 et 12, 13. — ⁴ Id. ix, 16 et 18.

det in eam : et qui dissipat sepem , mordebit eum coluber. Qui transfert lapides, affligetur in eis ; et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit ; multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum¹.

Et paulo post : Lætare ergo juvenis in adolescentia tua ; et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum, et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt².

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. *Et post aliquot versus* : Deum time, et mandata ejus observa³.

DE CANTICO CANTICORUM.

Restat ille liber Salomonis, cujus inscriptio est, Canticum Canticorum. Sed de illo in hoc opus quid transferre possumus, cum totus amoris sanctos Christi et Ecclesiæ figurata locutione commendet, et prophetica pronuntiet altitudine? nisi quod in eo, quamvis sit ad intelligendum difficillimus, possumus tamen facile advertere, quantum sit divina illa et divinitus inspirata charitas appetenda, quantique pendenda : quandoquidem non ibi semel dicitur, sed alio atque alio loco iterum ac tertio repetitur : Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque campo-

¹ Eccle. x, 1 et 8-12. — ² Id. xi, 9, 10. — ³ Id. xii, 1 et 13.

rum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Adjuro vos filiæ, Jerusalem, in virtutibus et viribus agri, si levaveritis charitatem quoadusque velit¹. *Ecclesia quippe, in qua utique sumus, his verbis exhortatur filias suas, hoc est, se ipsam in plurimis constitutam. Ipsa est ager Dei fructuosissimus, cujus virtutes et vires magnæ sunt, ad quas amando Christum Martyres pervenerunt. Nam quousque vult ille dilectæ suæ in hac interim vita charitatem levare, nisi quousque ipse docuit verbo, et suo est hortatus exemplo, dicens : « Majorem hac charitatem nemo » habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis² : » et quod dixit, afficiens? unde ne ad ipsum solum hoc pertinere videretur, ait Joannes in Epistola sua : « Sicut Christus pro nobis animam » suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere³, hoc ergo est, » quoadusque velit. Legitur etiam in eodem Cantico : Ordinate in me charitatem⁴. Christus quoque ipse ibi dicit : Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem⁵. *Et alibi* : Quam pulchra es et quam decora, charissima in deliciis⁶ ! *Et alio loco* : Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio⁷. *Et post unum versum* : Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam⁸.*

¹ Cant. ii, 7, iii, 5, et viii, 4, juxta LXX. — ² Joan. xv, 13. — ³ I Joan. iii, 16. — ⁴ Cant. iv, 4, juxta LXX. — ⁵ Id. vi, 3. — ⁶ Id. vii, 6. — ⁷ Id. viii, 6. — ⁸ Ibid. 7.

DE LIBRO JOB.

QUI noverunt eum, ignorant dies illius. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et rapuerunt eos. Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ. *Et post quinque versus*: Agrum non suum demetunt; et vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. *Et post duos versus*: Vim fecerunt deprædantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. Nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas. *Et post duos versus*: De civitatibus fecerunt viros gemere; et anima vulneratorum clamavit; et Deus inultum abire non patitur. Ipsi fuerunt rebelles lumini: nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas illius. *Et post viginti et unum versus*: Conteratur quasi lignum infructuosum. Pavit enim sterilem, et quæ non parit; et viduæ bene non fecit. Detrahit fortem in fortitudine sua¹.

Et post aliquantum: Auris audiens beatificabat me; et oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate judicio meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum: et causam quam nesciebam, diligenter investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam².

Et aliquanto post: Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus; appendat me in statera justa, et

¹ Job. xxiv, 1-3 et 6-22. — ² Id. xxix, 11-17.

sciat Deus simplicitatem meam. Si declinavit gressus meus de via: et si secutus est oculus meus cor meum, et in manibus meis adhæsit macula¹. *Et post duos versus*: Si deceptum est cor meum super mulierem; et si ad ostium amici mei insidiatus sum. *Et post duos versus*: Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. Si contempsi judicium subire cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversus me. *Et post quatuor versus*: Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit vestimentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me superiorem in portis². *Et post quinque versus*: Si putavi aurum robur meum, et obryso dixi: Fiducia mea. Si lætatus sum super multas divitias meas, et quia plurima reperit manus mea. *Et post sex versus*: Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me odebat, et exultavi quod invenisset eum malum. *Et post quatuor versus*: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me: et non magis tacui, nec egressus sum ostium. Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum Omnipotens audiat, et librum scribat ipse qui judicat: ut in humero meo portem illum, et circumdem quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum,

¹ Job xxxi, 5-7. — ² Ibid. 9-21.

et quasi principi offeram eum. Si adversus me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent. Si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum afflixi¹.

Nunc jam de libris Prophetarum quæ sunt huic operi necessaria colligamus. Ac primum de his Prophetis, qui propter brevitatem voluminum suorum Minores vocantur. Ergo apud Osee prophetam ista comperimus.

DE LIBRO OSEE.

AUDITE verbum Domini, filii Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem teligit. *Et post duodecim versus*: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Et post quindecim versus*: Quoniam Dominum reliquerunt in non custodiendo. Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferit cor. *Et post septemdecim versus*: Quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabant. Et populus non intelligens vapulabit. Si fornicaris tu, Israël, non delinquat saltem Juda. Et nolite ingredi in Galgala; et ne ascendatis in Bethave; neque juraveritis, Vivit Dominus².

Et post aliquot versus: Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum Deum suum; quia spiritus fornicationis in medio eorum; et Dominum non cognoverunt³.

Et post sexaginta et unum versus: Judicia tua quasi

¹ Job. xxxi, 24-39. — ² Osee iv, 1, 2, 6, 10, 14, 15. — ³ Id. v, 4.

lux egredientur. Quia misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta⁴.

Et post aliquantum: Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ: innovate vobis novale. Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam⁵.

Et post septuaginta-octo versus: Et tu ad Dominum Deum converteris: misericordiam et iudicium custodi; et spera in Domino Deo tuo semper⁶.

Et post quinquaginta et unum versus: Ego autem Dominus Deus tuus, eduxi te de terra Ægypti; et Dominum absque me nescies; et Salvator non est præter me⁷.

Et post triginta novem versus: Convertere, Israël, ad Dominum Deum tuum; quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum; dicite ei: Omnem iniquitatem aufer, et accipe bonum; et reddemus vitulos labiorum nostrorum⁸.

DE LIBRO JOEL.

EXPERGISCIMINI ebrüi, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine; quoniam periit ab ore vestro. Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumrabilis⁹.

Et post aliquantum: Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu, et in planctu: et scindite corda vestra et non vestimenta vestra: et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus et misericors est¹⁰.

¹ Osee vi, 5, 6. — ² Id. x, 12. — ³ Id. xii, 6. — ⁴ Id. xiii, 4. — ⁵ Id. xiv, 2, 3. — ⁶ Joël. i, 5, 6. — ⁷ Id. ii, 12, 13.

DE LIBRO AMOS.

Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Juda , et super quatuor non convertam eum ; eo quod abjecerint legem Domini , et mandata ejus non custodierint. Deceperunt enim eos idola sua , post quæ abierunt patres eorum. *Et post duos versus* : Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israël , et super quatuor non convertam eum ; pro eo quod vendiderint pro argento justum , et pauperem pro calceamentis. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum , et viam humilium declinant. Et filius ac pater ejus ierunt ad puellam , ut violarent nomen sanctum meum. *Et post unum versum* : Et vinum , *inquit* , damnatorum bibebant in domo Dei sui¹.

Et aliquanto post : Quia hæc dicit Dominus domui Israël : Quærite me , et vivetis : *Et post tres versus* : Quærite Dominum , et vivite. *Et post octo versus* : Odio habuerunt in porta corripientem , et loquentem perfecte abominati sunt. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem , et prædam electam tollebatis ab eo. *Et post tres versus* : Quia cognovi multa scelera vestra , et fortia peccata vestra. Hostes justi , accipientes munus , et pauperes in porta deprimentes. *Et post duos versus* : Quærite bonum et non malum , ut vivatis ; et erit Dominus Deus exercituum vobiscum , sicut dixistis. Odite malum , et diligite bonum , et constituite in porta iudicium ; si forte misereatur Dominus exercituum reliquiis Joseph².

Et post aliquot versus : Qui dormitis in lectis eburneis , et lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege , et vitulum de medio armenti. Qui canitis ad

¹ Amos 11, 4, 6-8. — ² Id. v, 6, 10-12 et 14, 15.

vocem psalterii : sicut David putaverunt se habere vasa cantici : bibentes in phialis vinum , et optimo unguento delibuti , et nihil patiebantur super contritione Joseph¹.

Et post aliquantum : Audite hoc qui conteritis pauperem , et deficere facitis egenos terræ , dicentes : Quando transibit messis , et venumdabimus merces ; et sabbatum , et aperiemus frumentum : ut minuamus mensuram , et augeamus siclum , et supponamus stateras dolosas : ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis. et quisquillas frumenti vendamus².

DE LIBRO MICHÆE.

Væ qui cogitatis inutile , et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud ; quoniam contra Deum manus eorum. Et concupierunt agros , et violentulerunt , et domos rapuerunt , et calumniabantur virum et domum ejus , virum et hæreditatem ejus³.

Et post aliquantum : Audite hæc principes domus Jacob , et iudices domus Israël , qui abominamini iudicium , et omnia recta pervertitis. Qui ædificatis Sion in sanguinibus , et Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus iudicabant ; et sacerdotes ejus in mercede docebant ; et prophetae ejus in pecunia divinabant , et super Dominum quiescebant , dicentes : Numquid non Deus in medio nostrum ? Non venient super nos mala⁴.

Et post aliquantum : Indicabo tibi , o homo , quid sit bonum , et quid Dominus quærat a te , utique facere iudicium , et diligere misericordiam , et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Et post tres versus* : Adhuc ignis in domo impii , thesauri iniquitatis , et mensura minor iræ plena.

¹ Amos vi, 4-6. — ² Id. viii, 4-6. — ³ Mich. 11, 1, 2. — ⁴ Id. iii, 9-11.

Numquid justificabo stateram impiam, et sacelli pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum¹.

Et post duodecim versus: Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumnno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est, omnes in sanguine insidiantur; vir fratrem suum venatur ad mortem: malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat, et judex in reddendo est, et magnus locutus est desiderium animæ suæ².

DE LIBRO HABACUC.

CONTRA me factum est iudicium, et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem iudicium: quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur iudicium perversum³.

Et paulo post: Justus autem in fide sua vivet. Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur. *Et post aliquantum*: Quid prodest sculptile, quia illud sculpsit fitor suus conflatilem et imaginem falsam; quia speravit in figmento fitor ejus, ut faceret simulacra muta? Væ qui dicit ligno: Expergiscere; Surge, lapidi tacenti. Numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus. Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra⁴.

¹ Mich. vi, 8-12. — ² Id. vii, 1-3. — ³ Habac. i, 3, 4. — ⁴ Id. ii, 4, 5 et 18-20.

DE LIBRO SOPHONIE.

DISPERDAM, *inquit*, de loco hoc reliquias Baal, et nomina ædituorum cum sacerdotibus; et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant, et jurant in Domino, et jurant in Melchom; et qui avertuntur de post tergum Domini; et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. Silete a facie Domini; quia juxta est dies Domini. *Et post sexdecim versus*: Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in facibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, et non faciet male¹.

Et post aliquot versus: Convenite, congregamini gens non amabilis, priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies furoris Domini. Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium ejus estis operati. Quærite justum, quærite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini².

Et post aliquantum: Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum; et sperabunt in nomine Domini reliquæ Israël: non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non inveniatur in ore eorum lingua dolosa³.

¹ Sophon. i, 4-7 et 12. — ² Id. ii, 1-3. — ³ Id. iii, 12, 13.

DE LIBRO ZACHARIÆ.

CUM de volumine loqueretur, quod vidit in spiritu: Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eum, et ligna ejus, et lapides ejus¹.

Et post aliquantum: Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens: Hæc ait Dominus exercituum dicens: Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo: et viduam et pupillum et advenam et pauperem nolite calumniari, et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo².

Item post aliquantum: Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris; et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, et juramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus³.

DE LIBRO MALACHIÆ.

FILIUS honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum⁴?

¹ Zach. v, 3, 4. — ² Id. vii, 8-10. — ³ Id. viii, 16, 17. — ⁴ Malach. i, 1 et 6.

Et paulo post: Ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in Lege. Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? Transgressus est Judas, et abominatio facta est in Israël, et in Jerusalem; quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino exercituum. Et hoc rursus fecistis; operiebatis lacrymis altare Domini, fletu et mugitu; ita ut ultra non respiciam ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti; et hæc particeps tua et uxor foederis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus? Et quid unusquisque quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere. Cum odio habueris eam, dimitte, dicit Dominus Deus Israël: operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. Custodite spiritum vestrum, et nolite despiciere. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo cum diceretis, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent, aut certe ubi est dies judicii¹?

Et post quindecim versus: Et accedam ad vos, inquit, in iudicio, et ero testis velox maleficis et adulteris et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus, et non mutor, et

¹ Malach. ii, 9-17.